Forma precum publicarum eſt neceſſariò præſcribenda.

TEmpla peto, parochus ſpumãs en enθeus ora
E labio preculas non meditante vomit.
Cur crebrâ blateret, rogo, non meditata ſalivâ.
Cernin', vt impulſu ſpiritus, inquit, agor?
Oras Chriſte *Pater noſter:* tibi vaticine ô rex,
Et lyrice o vates, eſt ſtata forma precis:
Hæc ciet ardorem: præcidit ſchiſma: popellum
Erudit expertem: cuncta decenter agit:
Priſca probat λειτυργία hoc: eccleſia priſca,
Noſtraque: priſca chori praxis Apoſtolici.
Cum Chriſto ratio, ratione eccleſia Chriſti
Quod ſtatuit, renuis ſpirituale pecus?

Patres, gentilesq́ ſcriptores in concionibus licet, & expedit allegare.

TEmpla peto, prẽco quatiẽs en pulpita motu,
Eloquio feriens aera ſtentoreo,
Sacram pagellam, pagellam nil niſi ſacram
Ore tonat, tundit ceu rudis æra faber
An tibi non patribus, *Me qui vos audiet audit?*
Scripta probant patrũ, priſca probãdo movẽt.
Ethnica ſcripta movent: delectãt Ethnica ſcripta:
Fac domino redimas Ethnica furta ſuo.
Sic fas cæſariem captivæ, vnguemq; reſectæ
Hæbreo priſca nubere lege fuit.
Τυφλὸν in hiſce θεῦ, Balaam ſine veret aſella,
Verum eſt. Paule citas Ethnica, φαῦλα vetas?